Tantus heic Splendor, quoq; tanta Pompa
Est in augusto Domini Triumpho,
Gloria est Regis pariterq; tanta, ut
Lingua stupescat.

Ergo cum magnis apage Triumphis
Inclyta Roma, Domini Triumphi
Splendidam pompam licet heic videre
Lumine mentis.

Quumq; sic se Res habeat, necesse est,
Utq; Terrena ut nihili aestimetis,
Vestra tollatis potius subinde
Pectora sursum.

Rebus in duris neq; Spes Salutis
Excidat planè ex animo; sed hujus
Labilis vitae Mala perferatis
Pectore forti.

Insuper votis calidis precemur,
Christus ut Victor faciat supremus,
Ut triumphemus quoq; nos in altâ
Arce Polorum!

Plura jam nolo: quia me fugacis
Temporis cursus monet, ut strepentes
Rivulos claudam: satis heic amoena
Prata biberunt.

Casparus Godofredus Grosse.
Lignic. Siles.